



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

19. Mortificatio invidiæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XIX.

Mortificatio Invidiæ.

TEXTUS.

Deponentes igitur omnem malitiam, simulationes & invidias. 1. Petri c. 2. 1.

Cognitio.

Invidia est tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminuere propriam gloriam: Cujus actus Examine particulari supprimendi, sunt sequentes:

1. Tristari & indignari de bonis alterius.
2. Lætari de alterius malis.
3. Bona aliorum silentio involvere.
4. Manifestam aliorum virtutem calumniari.
5. Aliorum opera bona impedire.

Consideratio Motivorum.

Quàm virulentum, ac pestiferum malum sit invidia, quis verbis dignè expresserit? Nam I. Invidia diaboli primos parentes nostros seduxit, Abelem interemit,

Sau-

64 SEMITA PERFECTIÖNIS.

Saulem ad Davidis necem instigavit, Christum Dominum, per Pontifices, morti adjudicavit. II. Invidia, ut docet S. Cyprianus serm. de zelo & livore, *Est radix malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum, serpentis praeceptum.* O igitur malum virulentum! III. Invidia, ex mente S. Basilii hom. II. est diaboli inventum, pietatis impedimentum, via ad gehennam, privatio regni caelorum, interitus vitae, pestis naturae adversa omnibus bonis ex Deo provenientes; demum ipsi DEO contraria. O malum pestiferum! O toxicum serpentinum!

Petitio.

Domine DEUS meus, charitatis fons, & origo bonitatis: hunc mihi dilectionis proximi gradum concede, ut omni livoris peste caream; & haereditatem illam, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, unice diligam.

Aspirationes.

I. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. c. 20. 15.*

II. *Rektor meus, amove à me zeli livorem, contentionis ardorem, & invidia ruginem. S. Aug. Med. c. 1.*

III. Salvator mi, libera me à rancore invidiæ, ut replear charitatis Tuæ dulcedine.

P A S S U S XX.

Mortificatio Gulæ.

T E X T U S.

Attendite, ne fortè graventur corda vestra, in crapula & ebrietate. Lucæ c. 21. 34.

Cognitio.

Gula est inordinatus appetitus alimenti, qui quinos excessus seu actus complectitur.

1. In quantitate, nimium cibi & potus sumendo, excedere.
2. In qualitate, nimis lautum ac delicatum cibum, potumque appetere.
3. In tempore: ante & extra consuetam horam, edere & bibere.
4. In modo: nimiâ aviditate & ardore, alimentum sumere.
5. In condimento: esculenta nimis studiosè & exquisitè præparata desiderare.

Con-